

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Augustini in euangelium secundum Iohannem sermones
CXXIII - Cod. Aug. perg. 47**

Augustinus, Aurelius

[Reichenau ?], [14. Jh.]

Sermo XLIII

[urn:nbn:de:bsz:31-64194](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-64194)

quomodo ex illo erant. quia ipse est conditor naturae. ipse est creator
 carnis & animae; Quomodo ergo & ex illo non erant. quia uitiosi a seipsis fac-
 ti erant. ex illo non erant. quia imitando diabolum. filii diaboli facti erant;
 Venit ergo dñs dñs ad hominem peccatorem. duo nomina audisti. & hominē.
 & peccatorem; quod homo est. ex dō est. quod peccator est. non est ex dō.
 a natura uitium secernatur. agnoscitur natura unde creator laudatur. ag-
 noscitur uitium. propter quod medicus inuocatur; quod ergo ait dñs. Qui est
 ex dō uerba dī audit. propterea uos non auditis quia ex dō non estis. Non natu-
 rarum merita discreuit. aut praeter suam animam & carnem aliquam naturā
 in hominibus quae peccato uitata non esset inuenit. sed qñm praescierat qui
 fuerant credituri. ipsos dixit ex dō. qñm regenerationis ad optione renasce-
 rentur ex dō; ad hos pertinet. qui est ex dō uerba dī audit; quod uero sequitur.
 propterea uos non auditis. quia ex dō non estis. eis dictum est qui non solum
 peccato uitiosi erant. nam hoc malum commune erat omnibus. sed & iam
 praecognita quod non fuerant credituri ea fide qua sola possent a peccatorū
 obligatione liberari; quia propter praesciebat illos quibus talia dicebat in eo
 permansuros. quod ex diabolo erant id est in suis peccatis atq. impietate mo-
 rtuiros in qua eis similes erant. nec uenturos ad regenerationem in qua esset
 filii dī. hoc est ex dō nati. a quo erant homines creati; secundum hanc praedis-
 tinationem loquutus est dñs. non quod aliquem hominem inuenit qui uel
 secundum regenerationem iam esset ex dō. uel secundum naturam iam non
 esset ex dō. **EXPLICIT SERMO XLII. INCIPIT XLIII AB EO QUOD
 SCRIPTUM EST. RESPONDERUNT IGITUR IUDAEI ET DI-
 XERUNT EI USQ. AD ID QUOD AIT. TU DERUNT ERGO LAP-
 IDES UT IACERENT IN EUM IHS AUTEM ABSCONDIT SE
 ET EXIIT DE TEMPO.**

In ista lectione scī euangelii quae hodie recitata est. a potentia discimus
 patientiam; quid enim sumus serui ad dñm. peccatores ad iustum. creatu-
 ra ad creatorem. Tamen quomodo si quid mali sumus. a nobis sumus. ita
 quid quid boni sumus. ab illo & per illum sumus. & nihil sic quaerit homo quo
 modo potentiam; habet dñm xpm magnam potentiam. sed prius eius imitatur
 patientiam. ut perueniat ad potentiam; quis nostrum patienter audiret si
 alicui diceretur. demonium habes. quod dictum est ei qui non solum homines
 saluabat. sed & iam daemonibus imperabat. Hoc enim cum dixissent iudaei.
 Nonne benedicimus nos quia samaritanus es & demonium habes. horum
 duorum sibi obiectorum. unum negauit. alterum non negauit. Respondit
 enim & ait; ego demonium non habeo; non dixit. non sum samaritanus;

& utiq. duo fuerant obiecta; quamuis maledictum maledicto non reddi-
 derit. quamuis conuicium non conuicio refutauerit. per anuit tamen ad
 eum negare unam rem. alteram non negare; Non frustra fr̄s. samaritanus
 enim interpretatur custos. nouerat se ille nostrum esse custodem. non enim
 dormit neq. dormitat qui custodit israhel. & nisi dñs custodierit ciuitatem.
 in uanum uigilabunt qui custodiunt; Est ergo ille custos noster. qui creator
 noster; Non enim pertinuit ad am̄ ut redimeremur. & non pertinere ut
 seruariemur; Deniq. ut plenius noueritis mysterium quare se samaritanum
 negare non debuit. parabolam illam notissimam attendite. ubi homo quidā
 descendebat ab hierusalem in hiericho. & incidit in latrones. qui eum grauer
 uulnerantes semiuuum in uia reliquerunt. Transit sacerdos. neglexit eū.
 transit leuites. & praeterit. Transit quidam samaritanus. ipse est custos
 noster. ipse accessit ad saucium. ipse inpendit misericordiam. eiq. se praes-
 tate proximum quem non deputauit alienum; Ad hoc ergo solum quod dae-
 monium non haberet. non autem se samaritanum non esse respondit; Dein-
 de post tale conuicium. hoc solum dixit de gloria sua. sed honorifico inquit
 patrem meum. & uos in honoratis me. hoc est. ego non me honorifico ne
 uobis adrogans uidear. habeo quem honorificem. sed si uos me agnosceretis.
 sicut ego honorifico patrem. sic & uos honorificaretis me; Ego facio quod
 debeo. uos non facitis quod debetis; Ego autem inquit non quaero gloriā
 meam. est qui quaerat & iudicet; quem uult intellegi nisi patrem. quomo-
 do ergo alio loco dicit. pater non iudicat quemquam. sed omne iudiciū
 dedit filio. & hic dicit. non quaero gloriā meam. est qui quaerat & iudi-
 cet. Si ergo iudicat pater. quomodo non iudicat quemquam. sed omne iudi-
 cium dedit filio. hanc quaestionem ut soluamus attendite. simili loquutio-
 ne solui potest; scriptum habes. Dñs neminem temptat. & iterum scriptum
 habes. temptat uos dñs dñs uester. ut sciat si diligatis eum; nempe quaestio ē.
 Uidetur quomodo enim dñs neminem temptat. & quomodo temptat uos dñs
 dñs uester. ut sciat si diligatis eum; Item scriptum est. timor non est in cari-
 tate sed perfecta caritas foras mittit timorem. & alio loco scriptum est.
 timor dñi castus permanens in saeculum saeculi. & ipsa quaestio est. quo-
 modo enim perfecta caritas foras mittit timorem. si timor dñi castus per-
 manet in saeculum saeculi. intellegimus ergo duas esse temptationes. unam
 quae decipit. alteram quae probat; secundum eam quae decipit. dñs nemine
 temptat. secundum eam quae probat. temptat uos dñs dñs uester. ut sciat si di-
 ligatis eum; sed iterum & hic alia nascitur quaestio. quomodo temptat ut sciat
 quem latere nihil potest antequam temptet; non ergo dñs nescit. sed dictum ē.

ut sciat quod est ut scire uos faciat, loquutiones tales & in sermonibus nostris
 sunt, & in auctoribus eloquentiae repperiuntur; De sermone nostro aliquid di-
 cam; fossa caeca dicitur, non quia ipsa oculos perdidit sed quia latendo non
 uidentes facit; aliquid & de illis auctoribus dicam; tristes lupinos ait quidam,
 hoc est amaros, non quia ipsi sunt tristes, sed quia gustati contristant hoc est
 tristes faciunt; Sunt ergo & in scripturis loquutiones eiusmodi, qui in talibus
 quaestionibus cognoscendis laborant, in soluendis talibus quaestionibus non labo-
 rant; Ergo temptat uos dñs dñs uester, quid est ut sciat, ut scire uos faciat si dili-
 git eum; Job latebat se, sed dñm non latebat, admisit temptatorem, & fecit eum
 sui cognoscentem; Quid de duobus timoribus, est timor seruilis & est timor castus;
 est timor ne patiaris poenam, est alius timor ne amittas iustitiam; timor ille
 ne patiaris poenam, seruilis est; quid magnum est timere poenam, hoc & ne quis
 simus seruus, hoc & crudelissimus latro, non est magnum timere poenam, sed
 magnum est amare iustitiam; qui ergo amat iustitiam, nihil timet, timet
 plane, non ne incidat in poenam, sed ne amittat iustitiam; fr̄s mei credite &
 conicite ex eo quod amatis; amat aliquis uestrum pecuniam, putas aliqui uirum,
 putas inuenio aliquem qui non amat, ex hoc tamen ipso quod amat intellegat
 quod dico; timet damnum, quare timet damnum, quia pecuniam diligit, quan-
 tum amat pecuniam, tantum timet ne perdat pecuniam; Ergo inuenitur ali-
 quis amator iustitiae, qui plus in corde damnum per timeat, qui plus timeat
 expoliari iustitia, quam tu pecunia, ipse est timor castus, ipse permanet in saeculum
 saeculi; non eum tollit caritas, nec foras mittit, sed magis complectitur, & comi-
 tem tenet, simul possidet; uenimus enim ad dñm ut uideamus facie ad faciem,
 ibi timor castus nos seruat, timor enim ille non perturbat, sed confirmat;
 timet mulier adultera ne uir eius ueniat, timet casta ne uir eius abscedat;
 Ergo sicut secundum aliam temptationem, dñs neminem temptat, secundum
 aliam uero temptat uos dñs dñs uester, & secundum alium timorem timor non
 est in caritate, sed perfecta caritas foras mittit timorem; secundum uero
 alium timorem timor dñi castus permanet in saeculum saeculi; Sic & hoc loco
 secundum alterum iudicium, pater non iudicat quemquam sed omne iudicium
 dedit filio; secundum alterum iudicium, ego inquit non quaero gloriam meam
 est qui quaerit & iudicat, & de ipso uerbo quaestio ista soluitur; habes in euan-
 gelio commemoratum poenale iudicium, qui non credit iam iudicatus est,
 & alio loco uenit hora quando hi qui in monumentis sunt, audient uocem eius
 & procedent, qui bene fecerunt in resurrectionem uitae, qui male egerunt
 in resurrectionem iudicii; Uide quem admodum iudicium pro damnatio-
 ne & poena posuit, & tamen si semper iudicium pro damnatione acciperetur.

num quid audyemus in psalmo. iudicame dñs. ibi iudicium secundum afflic-
 tionem. hic iudicium secundum discretionem positum est; quomodo secundum
 discretionem. quomodo exponit ipse qui ait iudicame dñs; lege enim & uide
 quid sequitur; quid est iudicame dñs. & discerne inquit causam meam de gente
 non scā; quod ergo dictum est. iudicame dñs. ^{hoc} & discerne causam meam de gen-
 te non scā; secundum hoc ait modo dñs xps. Ego non quaero gloriam meam.
 est qui quaerat & iudicet; Quomodo est qui quaerat & iudicet. Est pater qui glo-
 riam meam aestra gloria discerнат & separat; uos enim secundum hoc scetm
 gloriamini. ego non secundum hoc saeculum glorior. qui patri dico. pater glo-
 rificame ea gloria quam habui apud te antequam mundus esset; quid est ea glo-
 ria ab humana inflatione discreta; secundum hoc iudicat pater; quid est iudicat.
 discernit; quid discernit. gloriam filii sui a gloria hominum. Quia ideo dictum
 est. unxit te dñs dñs tuus oleo exultationis prae participibus tuis; Non enim
 quia homo factus est. iam comparandus est nobis. nos homines cum peccato.
 ille sine peccato, nos homines trahentes de adam & mortem & delictum. ille
 de uirgine carnem mortalem. nullam iniquitatem; Deniq; nos nec quia uo-
 lumus nati sumus. nec quam diu uolumus uiuimus. nec quomodo uolumus mo-
 rimur. ille antequam nasceretur. elegit de qua nasceretur. natus fecit ut ama-
 gis adoraretur. Creuit infans. & miraculis se dñm ostendebat. & infirmitate ho-
 minem praeferebat; postremo elegit & genus mortis. hoc est ut in cruce pende-
 ret. & ipsam crucem in frontibus fidelium figeret. ut dicat xpianus; mihi autem
 absit gloriari nisi in cruce dñi nostri ihu xpi; in ipsa cruce quando uoluit corpus
 dimisit & abscessit. in ipso sepulchro quam diu uoluit iacuit. quando uoluit tam-
 quam delecto surrexit; Ergo fr̄s secundum ipsam formam serui. nam illud
 quis digno loquitur. In principio erat uerbum & uerbum erat apud dñm & dñs
 erat uerbum; secundum ipsam inquam formam serui. multum inter est inter
 gloriam xpi. & gloriam hominum & rerum; De ipsa gloria dicebat. quando
 quod daemonium haberet audiebat. Ego non quaero gloriam meam. est qui
 quaerat & iudicet; Tu autem de te dñe quid dicis. Amen amen dico uobis. si
 quis sermonem meum seruauerit. mortem non uidebit in aeternum; uos
 inquit dicitis. daemonium habes. ego uos ad uitam uoco. seruate sermonem
 meum. & non moriemini; illi audiebant. mortem non uidebit in aeternum.
 qui seruauerit sermonem meum. & irascebantur. quia iam mortui erant illi
 morte quae uitanda erat; Dixerunt ergo iudaei; nunc cognouimus quia
 daemonium habes; abraham mortuus est & prophetae & iudicis. Siquis sermo-
 nem meum seruauerit. non gustabit mortem in aeternum. Uide & loquuti
 onem scripturarum; mortem non uidebit. id est gustabit. mortem uidebit.

mortem gustabit; Quis uidet, quis gustat, quos oculos habet homo, ut uideat
 quando moritur. quando ueniendo mors ipsos oculos claudit ne aliquid uide
 ant. quomodo dicitur, mortem non uidebit. Item quo palato & quibus faucibus
 mors gustatur, ut quid sapiat discoscatur, quando totum sensum tollit, quid in
 palato remanebit, sed uidebit dictum est & gustabit. pro eo quod est experi
 tur, haec dñs, parum est si dicam morturis loquebatur morturus, quia dñs
 exitus mortis sicut loquitur psalmus; cum ergo & morturis loqueretur, & mo
 rturis loqueretur, quid sibi uult quod ait, qui sermonem meum seruauerit,
 mortem non uidebit in aeternum. nisi quia uidebat dñs aliam mortem de qua
 nos liberare uenerat, mortem secundam, mortem aeternam, mortem gehen
 narum, mortem damnationis cum diabolo & angelis eius, ipsa est uera mors.
 nam ista migratio est, quid est ista mors relictio corporis, depositio sarcinae
 grauis, sed si alia sarcina non portetur quae homo in gehennas praecipitur;
 De ipsa ergo morte dñs dixit, mortem non uidebit in aeternum qui sermonem
 meum seruauerit, non expauescamus istam mortem, sed illam timeamus;
 quod est autem grauius, multi per uerse timendo istam, inciderunt in illam;
 Dicitur est aliquibus, ad orate idola, quod si non feceritis, interficiemini, aut
 quem admodum ille nabuchodonosor dixit, si non feceritis, mittemini in cam
 num ignis ardentis; multi timuerunt & adorauerunt, nolentes mori, mortui
 sunt, timendo mortem quae non euaditur, inciderunt in mortem quae eu
 adere feliciter possent si istam quae non euaditur, infeliciter non timerent;
 natus es homo, morturus es, quae ibis ut non moriaris, quid facies ut non
 moriaris, ut dñs tuus necessitate morturum consolaretur, uoluntate mori
 dignatus est; quando uides xpm mortuum, dedignaris mori, ergo mortu
 rus es, quae euadas hoc non habes; hodie sit, cras sit, futurum est, debitum est
 reddendum; quid ergo agit homo timens, fugiens, occultans se ne inueni
 atur ab inimico. Numquid agit ut non moriatur, sed ut paulo serius mori
 atur, non accipit debita securitatem, sed postulat dilationem, quantum libet
 diu differatur, ueniat quod differtur; illam mortem timeamus quam
 timuerunt tres uiri quando dixerunt regi, potens est dñs & iam de ista fla
 ma liberare nos, sed & si non, ibi fuit timor illius mortis quam modo dñs
 comminatur, quando dixerunt, sed & si non, & si noluerit aperte liberare,
 potest in occulto coronare, Unde & ipse dñs facturis martyres, & caput
 martyrum futurus ait, Nolite timere eos qui occidunt corpus, & postea
 non habent quod faciant; quomodo non habent quod faciant, quid si
 cum occiderint, corpus bestis lacerandum & diripiendum alitibus pro
 sciant, uidetur adhuc sententia habere quod faciat; sed cui facit, qui migrat;

inest corpus. sed nullus est sensus. habitatio iac&. habitator abscessit;
 ergo postea non habent quid faciant; Non sentient enim nihil faciunt;
 sed eum tim&. qui hab& potestatem & corpus & animam occidere in ge
 henna ignis; Ecce de qua morte loquebatur cum dicer&; qui sermonem
 meum seruauerit. mortem non uidebit in a&ernum; seruemus ergo
 fr̄i sermonem ipsius. in fide peruenturi ad speciem cum acciperimus
 plenissimam libertatem; isti autem indignantes. mortui & mortui semi
 ternae praedestinati. respondebant conuulose & dicebant; modo cogno
 uimus quia daemone habes; abraham mortuus est & proph&ae; sed
 ista morte quam dñs uult intellegi. nec abraham mortuus est. nec prophe
 tae; illi enim mortui sunt & uiuunt. isti uiuebant & mortui erant; nam
 respondens quodam loco sa- duceis. mouentibus quaestionem de resurrec
 tione. hoc ait ipse dñs; De resurrectione autem mortuorum non legistis.
 quomodo ait dñs de rubo ad moysen. Ego sum dñs abraham & dñs isaac &
 dñs iacob. non est dñs mortuorum sed uiuorum; si ergo illi uiuunt. labore
 mus sic uiuere. & cum illis uiuere cum mortui fuerimus; Quem te ipsum
 facis inquit. ut dicas mortem non uidebit in a&ernum qui seruauerit
 sermonem meum. cum scias & abraham mortuum & proph&as. Respon
 dit ih̄s. Si ego glorifico me ipsum. gloria mea nihil est. est pater meus qui
 glorificat me; hoc ait propter illud quod dixerunt. quem te ipsum facis;
 refert enim gloriam suam ad patrem. de quo est quod dñs est; Aliquando
 arriani & de isto uerbo calumniantur fidei nostrae. & dicunt; ecce maior
 est pater. quia utiq;. glorificat filium; her&ice non legisti & ipsum filium
 dicentem. quod glorific& patrem suum. si & ille filium glorificat. & filius
 patrem glorificat. pone perniciem. agnosce aequalitatem. corrige peruer
 sitatem; Est ergo inquit pater meus qui glorificat me. quem uos dicitis quia
 dñs noster est. & non cognouistis eum; Uide& fr̄i mei. quem admodum os
 tendat ipsum dñm esse patrem xp̄i. qui annuntiatu est & iudaeis; propterea
 dico. quia rursus quidam her&ici dicunt dñm adnuntiatum in ueteri testam̄
 to non esse patrem xp̄i. sed nescio quem principem malorum angelorum;
 manichei sunt qui ista dicunt. marchionitae sunt qui ista dicunt. sunt & alii
 fortasse her&ici quos commemorare uel non opus est. uel a me omnes
 recoli in praesentia non possunt; non defuerunt tamen qui hoc dicerent;
 Itaq;. attendite. ut habetis ^{quid dicatis} & contra ipsos. eum dicit patrem suum dñs xp̄s.
 quem illi dicebant dñm suum & non cognouerunt; si enim ipsum cognouissent.
 eius filium recepissent; Ego autem inquit noui eum; secundum carnem
 iudicantibus potuit & h̄ic arrogans uideri quia dixit. ego noui eum; sed uide&

quid sequatur. Si dixerō quia non noui eum, ero similis uobis mendax; Ergo
 adrogantia non ita caueatur, ut ueritas relinquatur; Sed scio eum & sermo
 nem eius seruo; sermonem patris tamquam filius loquebatur, & ipse erat
 uerbum patris, quod hominibus loquebatur; Abraham pater uester exultauit
 ut uideret diem meum, & uidit & gauisus est; magnum testimonium perhi
 bit & abrahæ semen abrahæ creator; Abraham exultauit inquit ut uideret
 diem meum, non timuit, sed exultauit ut uideret. Erat enim in illo caritas
 quæ foras mittit timorem; Non ait, exultauit quia uidit, sed exultauit ut
 uideret. Credens utiq; exultauit sperando, ut uideret intellegendo. & uidit,
 & quid potuit plus dicere, uel quid debuit plus dicere dñs ih̄s xp̄s; & uidit in
 quit & gauisus est. Quis explicat hoc gaudium fr̄s mei, si gauisus sunt illi quibus
 dñs oculos carnis aperuit; quale gaudium fuit uidentis cordis lucem ineffabi
 lem, uerbum manens splendorem puris mentibus refulgentem, sapientiam in
 deficientem, apud patrem manentem dñm, & aliquando in carne uenturum nec
 de patris gremio recessurum. Totum hoc uidit abraham; nam quod ait, diē meū,
 incertum potest esse unde dixerit, utrum diem dñi temporalem qui erat uen
 turus in carne, an diem dñi qui nescit ortum, nec scit occasum; sed ego nondū
 bito patrem abraham totum scisse, & ubi inueniam, an sufficeat nobis debet testi
 monium dñi nostri ih̄s xp̄i. putemus nos inuenire non posse, quia forte diffi
 cile est, quomodo manifestum sit quod abraham exultauit ut uideret diem
 xp̄i, & uidit & gauisus est; & si nos non inuenimus, numquid mentiri ueritas
 possit. Credamus ueritati, & de abrahæ meritis minime dubitemus; Tamen
 audite unum locum, qui mihi interim occurrit; pater abraham quando mi
 sit seruum suum ut peteret uxorem filio suo isaac, hoc eum sacramento obs
 trinxit, ut fideliter quod iubebatur impleret, & sciret & iam ipse quid faceret;
 magna enim res agebatur, quando abrahæ semini coniugium querebatur;
 sed ut hoc cognosceret seruus, quod nouerat abraham quia nepotes non car
 naliter desiderabat, nec de genere suo aliquid carnale sapiebat; ait seruo suo
 quem mittebat; pone manum sub femore meo, & iura per dñm caeli; quid uult
 dñs caeli ad femur abrahæ. iam intellegitis sacramentum, per femur genus;
 Ergo quæ fuit illa iuratio, nisi quia significabatur de genere abrahæ uenturū
 in carne dñm caeli. Stulti reprehendunt abraham quia dixit, mitte manum
 sub femore meo, qui reprehendunt carnem xp̄i, reprehendunt faciem abra
 hæ; Nos autem fr̄s si agnoscimus carnem xp̄i uenerandam, illud femur non
 contemnamus, sed in prophætia dictum accipiamus, & enim prophætia erat abra
 ham, cuius prophætia, seminis sui & dñi sui; semen suum significauit dicendo,
 mitte manum sub femore meo, dñm suum significauit addendo & iura per

dñm caeli; Irati iudaei responderunt. Quinquaginta annos nondum habes.
 & abraham uidisti? & dñs; amen amen dico uobis. antequam abraham fieret.
 ego sum; adpende uerba. & cognosce mysterium. antequam abraham fi-
 eret; intellege fieret ad humanam facturam. sum uero ad diuinam pertine-
 re substantiam; fieret quia creatura est abraham. non dixit antequam abra-
 ham esset ego eram; sed antequam abraham fieret. qui nisi per me non fieret.
 ego sum; neq. hoc dixit. antequam abraham fieret ego factus sum. In principio
 enim fecit dñs caelum & terram. nam in principio erat uerbum. antequam abra-
 ham fieret ego sum; agnoscite creatorem. discernite creaturam; qui loquebatur
 semen abraham factus erat. & ut abraham fieret. antequam abraham ipse erat; hinc u-
 uelut abraham apertissimo conuicio. commotus sunt acrius. blasphemasse quippe
 illis uisus est dñs xps. qm̄ dixit antequam abraham fieret ego sum. Tulerunt
 ergo lapides ut iacerent in eum; tanta duritia quocurreret nisi ad similes.
 ih̄s ergo tamquam homo. tamquam in forma serui. tamquam humilis. tamquam
 passurus. tamquam mortuus. tamquam nos suo sanguine redempturus. non
 tamquam ille quiescit. non tamquam in principio uerbum. & uerbum apud dñm.
 nam cum illi lapides tulerunt. ut mitterent in eum. Quid magnum erat ut eos
 continuo descendens terra sorberet. & pro lapidibus inferos inuenirent. non erat
 magnum dō. sed magis erat commendanda patientia. quam exherenda potentia;
 abscondit se ergo ab eis. ne lapidaretur; tamquam homo a lapidibus fugit. sed ut
 illis aquorum lapideis cordibus dñs fugit; **INCIPIT SERMO XLIII**
AB EO QUOD SCRIPTUM EST. ET PRAETERIENS UIDIT HO-
MINEM CAECUM A NATIUITATE. USQ. AD ID QUOD NUNC. NUNC
UERO DICITIS QUIA UIDEMUS PECCATUM UESTRUM

De homine quem dñs ih̄s inluminauit qui caecus natus **MANET**
 fuit. prolixa lectio recitata est; quam si uniuersam pertractate co-
 nemur pro sui dignitate. sicut ualemus singula considerantes. non suf-
 ficat dies; proinde p̄o & admoneo caritatem uestram. ut in his quae aperta
 sunt. sermonem nostrum non requiratis; nam nimis longum erit in singu-
 lis immorari. breuiter ergo caeci huius inluminati commendo mysterium;
 ea quippe quae fecit dñs noster ih̄s xps. stupenda atq. miranda & opera & uer-
 ba sunt; Opera quia facta sunt. uerba quia signa sunt; si ergo quid significet
 hoc quod factum est cogitemus. Genus humanum est iste caecus; haec enim
 caecitas contingit in primo homine per peccatum de quo omnes originem du-
 ximus. non solum mortis. sed & iam iniquitatis; si enim caecitas est infidelitas.
 & inluminatio fides; quem fidelem quando uenit xps inuenit. quando qui-
 dem apostolus natus ingente prophetarum dicit. fuimus & nos aliquando